




Mag. St. Dr.


221960


L 221982



221960-221982

I





RESPONSUM

25.

AD SCRIPTUM LATINUM R. D. KOC PROFESSORIS PHIL.

16. Junii Anni 1779. editum.

221982

Hoc scriptum, in quo Tu ipsemet Te vocas R. Patrem, quemadmodum in epistolis nonnullis Te nuncupas AA. LL. & Phil. Doctorem, & in Citatione, de qua inferius, Professorem Matheseos, non mereretur quidem responsum: attamen quoniam ibi mentionem facis de Syngrapho in quolibet foro valituro, quo me 31. Martii anni labentis, ut ais, obstrinxi, ut eligerentur Arbitri ad decidendam controversiam nostram; mearum partium est, rem totam succincte exponere. Nimirum: De novo Opere meo ante 4. menses conscripto, in quo sexennem cum summo ingenii cruciatu collocavi operam, centum Exemplaria in officinam librariam curaveram perferenda, spe fretus, quod eorum venditione saltem aliqua ex parte posset refarciri jactura 70 Aureorum pro variis impressionibus, portorio literarum & aliis necessariis expensorum. Sed invidia, gloriae comes, illico venenum suum disseminavit: nam in Novis publicis Varfaviensibus 24. Martii editis inveni predictum opus hoc modo annunciatum: "W Księgarni Gröllowskiej Nadworney J. K. Mci " znayduie się do druku podane Pismo, ktoremu własny Autor " taki Tytuł nadał: *Vera Quadratura Circuli decies demonstrata,* " & jam quasi à septem Academiis approbata W Drukarni " zaś Nadworney J. K. Mci w Collegium Po-Jezuickim zostałczy, " znayduią się następujące drukowane Pisma: (1.) Expositio Brevis . . . R. D. Koc Prof. Phil. (2.) Epistola ejusdem data ad " G. D. Korsonich . . . (3.) Rozsądek pewnego Matematyka &c."


Cum itaque scripta tua Vir R. à me dudum solenniter refutata hic sine ulla ratione fuere recensita; mea autem contra Te publicata nunquam Novis inserta; impatientia ductus Te ad RR. PP. Theatinos pro disputatione 15. Aprilis mecum ibi ineunda invitavi. Ast Tu, bis respuens petitionem meam, simulabas Te velle, ut pro scriptis nostris examinandis eligerentur tantum Arbitri. Quare, ad consequendum finem, quem mihi proposueram, Tibi misi 31. Martii cum 3tia invitatione Syngraphum sequentem: *Ego infra scriptus hoc Syngrapho fateor, cum R. D. Koc Prof. Phil. me solenniter convenisse imo: ut 4. eligantur Arbitri, nempe 2 ex ejus & 2 ex mea parte, quorum decisioni justè ambo acquiescemus, sub pena in casu contraventionis à Cels. Principe Mareschallo R. S. nobis distanda. 2do: Ut ea solùm discutiantur, quæ ad nostram litem pertinent, nempe: Methodus demonstrativa, pro cuius refutatione solida premium 50 Aureorum fuit constitutum; deinde Objectiones Cl. ac R. D. Koc cum meis responsis solidis. Item Ejusdem Expositio brevis. Hic Syngraphus non habebit tamen valorem suum, nisi circa*


Men-

Mensem Majum, partim ob infirmitatem unius Arbitri, partim ob actum 15. Aprilis in Collegio RR. PP. Theatinorum à me instituendum, in quo R. D. Koc obligat se prius compariturum. In cuius fidem me manu propria subscripsi &c.

Attamen Tu, non contentus hoc Syngrapho, misisti mihi 1ma. Aprilis aliud scriptum subscribendum, quod in inductione causæ producam, & per quod imò excludis objectiones tuas cum meis responsis solidis 1776. typis vulgatas; & deinde conditionem principalem, nempe Te sistendi 15. Aprilis in loco pro disputatione destinato, rejicis. En clausulam tuam: *Hic Syngraphus non habebit tamen valorem, nisi circa Mensem Majum, quo tempore R. D. Koc obligat se compariturum in loco ad examinanda scripta superius nominata designando &c.*

Cum igitur conventio inter nos facta fuerit nulla; mirari satis nequeo impudentiam, qua asseris, Te à me accepisse Syngraphum, in quo vis fore valiturum. Verum quidem est, quòd 15. Aprilis in speratè comparuisti, sed forsitan missus ab altero 2 Magnatum, quorum auctoritatem 12 & 13 Aprilis imploravi. Non venisti tamen eo fine, ut ad propositiones meas solidè responderes; sed ut Logomachiam inauditam exercereres, cujus memoria apud me vigebit, quamdiu animà spirabo meà. Ex Corollario 6. *Veræ Circuli Quadratura*, jam ante seculum edita, quam huic responso nunc denuo adjungo, intelligere potuisses & debuisses sensum verum, in quo sumo id, de quo mihi litem tam præposteram movisti. Tandem eò impudentiæ 14 Junii processisti, ut non dubitaveris in Judiciis Mareschalcalibus 1ma instantiæ mihi dicam scribere, ad compellendum me, ut Tibi numerem 50 Aureos, ad quos solvandos, ut falsè inquis, me per supradictū Syngraphū obstrinxi. Enimvero confido, Celsissimum Principem Mareschallum Regni Supremum, qui nihil magis curæ cordique habet, quàm ut justitia exactè administretur, aviditatem tam indecentem, postulationemque tam injustam non relicturum impunitam. Textus ex Weidlero & Wolfio à me citatos malè intellexisti: en novum ex posterioris compendio (§ 129) desumptum, & captiivo magis accommodatum: *Quoniam verò hæc ratio (Archimedis) in Circulis majoribus in excessu peccat; alii accuratorem investigarunt &c.* Calculus Trigonometricus est maximi usus, præsertim in Astronomia; sed Tu eam felici successu instituere nequivisti, quia ignorabas, ut Tibi demonstravi, sinum unius minuti, 30 secundorum &c. Deinde 2 tantum dantur sinus veri; reliqui omnes, ut Tibi ostendi, peccant paulò plus, aut paulò minus in excessu. Est autem excessus lateris per sinus inventi non sit adeo notabilis; ille tamen eò magis augetur, quòd plura Polygonum continet latera &c. Epistolam, in qua flocci facis Mathematicos hujates, in agitatione causæ Tibi ob oculos ponam. Argumentum, quod Tibi tam mense Aprili, quàm 1 Maji proposui, est propositio 3. in hoc novo scripto contenta, ad quam solvendam Te denuo humanissimè invito, facta Tibi facultate, fautorem tuum in subsidium vocandi. Responde igitur seriò, solidè, & directè, non fugiendo, ut in *Methodo demonstr.* jam ante quadriennium edita præcavi, ad auctoritatem Archimedis, Culenii & Metii.





Biblioteka Jagiellońska



stdr0026012

introlig: K.Wójcika
Zwierzyniecka 10

